



## **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1858**

2532. Papst Celemens VII. dankt dem Kurfürsten Joachim für seine der  
rechtsgläubigen Kirche erwiesene Treue, lobt seinen für den Schutz  
derselben aufgebotenen Eifer und bittet ihn, darin ferner im ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56621](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56621)

2532. Pappst Clemens VII. danft dem Kurfürften Joachim für seine der rechtlgäubigen Kirche erwiefene Treue, lobt seinen für den Schuß derselben aufgebotenen Eifer und bitter ihn, darin ferner im Einflang mit dem Kaiser fortzufahren, am 13. October 1530.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Litere dilecti filii Cardinalis Campégii, legati nostri, cum sepe alias tum nouissime his diebus tantam tribuerunt Nobilitati tue laudem inelyte in hoc conuentu per eam exhibite fortitudinis et pietatis, vt animo potius sentire, quam verbis explicare possimus, quantam gaudii exinde ceperimus quantumque tue Nobilitati propterea debeamus. Sic enim idem legatus noster testatus est ceterique comprobarunt, non potuisse Nobilitatem tuam aut sentire preclarius, aut loqui ardentius aut se gerere dignius in ea persona pientissimi (sic) electoris et principis, quam ei Deus omnipotens ad sue religionis tutelam hoc tempore contulit. Cumque cetera Nobilitatis tue dicta factaque summe laudanda, tum oratio eius et admiranda omnibus visa est, quam nuperrime habuisse fili diceris, in qua ita pro Deo et fide locutus es, ita te et tua omnia ad eius honorem defendendum obtulisti ac deuouisti, ita Ceteros in idem es cohortatus, vt diuino te numine afflatum tunc omnes crediderint. Benedictus igitur Deus in omnibus operibus suis pater misericordiarum et consolationis, qui consolatur nos in tribulatione nostra, nec si venena permittit antitota et conferre omisit. Habet enim Dei benignitate sancta religio quibus non solum se oppugnantibus opponat, sed quibus facile opprimat oppugnantes, Cum Nobilitatem tuam ceterosque recte sencientes Principes serenissimis Cesari et fratri eius, omnium seculorum memoria et predicatione dignis, adiunxit vniufque omnes effecit voluntatis. Quam ob rem fili, etsi te hoc totum Deo et tue probitati scimus tribuisse tributurumque esse, tamen quod sumus in hoc loco constituti sollicitudinis et laboris, ad honorem diuinum salutemque animarum quoad possumus asserendam, arbitrati sumus muneris nostri non filere tecum, quoniam nobis grata hectua pietas acciderit. Que sane ita nobis heret semperque herebit, fixa in animo, vt non solum agamus tibi pro illa gracias, sed et occasiones nobis offerri cupiamus, quibus et referri possimus. Proinde hortamur Nobilitatem tuam ex animo, vt preteritis futura coniungens, suam sibi a deo tributam virtutem, dignitatem, authoritatem ad eiusdem dei causam tuendam conferat, sicut pollicita est. Et cum pientissimo Cesare fratreque eius in plenam religionis assertionem annitatur, Quod nobis non minus tua pristina semper pie agendi consuetudo quam recens tua promissio pollicetur, vt certo futurum speremus, Quemadmodum idem Cardinalis legatus hec plenius tue Nobilitati explicabit. Datum Rome, apud sanctum petrum, sub annulo piscatoris, Die XIII Octobris MDXXX, Pontificatus anno septimo.